

2

Una riflessione sui cicli della storia culturale

Una neque multorum annorum spatio divisa aetas per divini spiritus viros, Aeschylum, Sophoclen, Euripiden, illustravit tragoediam; una priscam illam et veterem sub Cratino Aristophaneque et Eupolide comoediam. [...] Philosophorum quoque ingenia Socratico ore defluentia omnium quanto post Platonis Aristotelisque mortem florere spatio? Quid ante Isocratem, quid post eius auditores eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit? Adeo quidem artatum angustiis temporum, ut nemo memoria dignus alter ab altero videri nequiverit.

Neque hoc in Graecis quam in Romanis evenit magis. Nam, nisi aspera ac rudia repetas et inventi laudanda nomine, in Accio circaque eum Romana tragoedia est; dulcesque Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque et Afranium subpari aetate nituerunt. Historicos etiam, si Livium quoque priorum aetati adstruas, praeter Catonem et quosdam veteres et obscuros, minus octoginta annorum aevum tulit; nec poetarum in antiquius citeriusve processit ubertas. At oratio ac vis forensis perfectumque prosae eloquentiae decus, si idem separetur Cato, universa sub principe operis sui erupit Tullio, ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis nisi aut ab illo visum aut qui illum viderit. [...]

Huius ergo recedentis in suum quodque saeculum ingeniorum similitudinis congregantisque se et in studium par et in emolumentum causas cum saepe requiro, numquam reperio quas esse veras confidam, sed fortasse veri similes, inter quas has maxime. Alit aemulatio ingenia, et nunc invidia, nunc admiratio imitationem accendit, naturaque quod summo studio petitum est ascendit in summum, difficilisque in perfecto mora est, naturaliterque quod procedere non potest recedit. Et, ut primo ad consequendos quos priores ducimus accendimur, ita, ubi aut praeteriri aut aequari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit, et quod adsequi non potest sequi desinit et velut occupatam relinquens materiam quaerit novam, praeteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid, in quo nitamur, conquirimus, sequiturque ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit.

VELLEIO PATERCOLO, *Storia romana*, I 16-17